

Alii scribunt, Flavianum ex acceptis in prædatoria Synodo Ephesina ab Hæreticis Eutychnianis plagis, post triduum interiisse. Sedit Flavianus annum unum, & menses decem. Ejus Elogium Historicum exhibet *Henschenius* ad diem XVIII. mensis Februarii.

Flaviano crucidato nefario Eutychnianorum scelere substitutus est in Sedem Constantinopolitanam *Anatolius*, & ab Episcopis ejusdem cum *Dioscuro* factionis ordinatus. Qua de causa *S. Leo* Papa putans Anatolium ab Episcopis Eutychnianis ordinatum in eodem erroris luto cum ipsis hære, diu dandis ad eum Epistolis pacis sese abstulit. Verum, postquam accepisset *S. Leo*, Anatolium fidei Formule subscripsisse, eumque ab Eutychniana Hæresi abhorre, scripsit ad ipsum Epistolam, quæ est sexagesima inter Epistolas *S. Leonis*, qua ei impense gratulatur, quod Fidem Catholicam profiteretur, & ab Eutychnianis erroribus esset omnino alienus. Famam & Orthodoxiam Anatolii plenissime vindicavit *Andreas Chevillierus* in Dissertatione in Synodum Chalcedonensem de *Formulis Fidei subscribendis*. Mortuus est Anatolius Episcopus Constantinopolitanus an. cccclviii. habuitque successorem *Gennadium*, qui Ecclesiæ Constantinopolitanæ præfuit tredecim annis, & migravit ex hac vita an. cccclxxi. Gennadio successit *Acacius*, qui multas tragœdias in Ecclesia Orientali excitavit. Petrum siquidem Mongum, & Petrum Fullonem, quos prius velut Hæreticos merito fuerat infectatus, in communionem suam recepit, & in Sedes Alexandrinam, & Antiochenam a *Zenone* Imperatore restitui curavit. Auctor quoque fuit eidem *Zenoni* Imperatori ut conderet & promulgaret decretum suum dictum *Henoticon*, quod diu afflixit Ecclesiam. *Simplicii*, & *Felicis* Romanorum Pontificum monita ludibrio habuit, & Legatos Sedis Apostolicæ hostili more detrusit in carcerem, & multis injuriis affecit, quodque gravius est, Romani Pontificis nomen e sacris Diptychis expunxit, & Schisma constavit, quod non tam cito extinctum est. Ob tot graves excessus justis de causis *Acacius* a Romanis Pontificibus damnatus est, ejusque nomen post mortem e tabulis Ecclesiæ delerum. Quam sententiam Summorum Pontificum adversus *Acacium* latam Ecclesia Orientalis æquissimam esse agnovit, quippe quæ *Acacium* etiam damnavit post mortem, & illius nomen e Diptychis erasit. Quin etiam tempore *Hormisdæ* Pape, sub qua inita est pax Orientalem inter, & Occidentalem Ecclesiam, non prius Orientales Episcopi in Sedis Apostolicæ communionem suscepti sunt, quam subscriberent libello non prava tantum dogmata, sed etiam personam & nomen *Acacii* damnanti. Mortuus est *Acacius* anno cccclxxxviii. & in ejus locum ordinatus est *Flavianus*, quem alii *Flavianum*, alii *Fravianum*, alii *Phraitanum* nominant, qui tantum tres menses & aliquot dies Sedem Constantinopolitanam tenuit. Hunc in Episcopatu Constantinopolitano excepit *Euphemius*, qui anno 496. ab *Anastasio* Imper. in exilium missus est, & in ejus locum subrogatus *Macedonius*, qui Ecclesiam Constanti-

nopolitanam rexit usque ad annum dxv. quo mortuus est. Sunt nonnulli, qui *Euphemium*, & *Macedonium* mox laudatos Episcopos Constantinopolitanos inter Schismaticos & Hæreticos recensent; sed doctissimi Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores *Natalis Alexander* Dissertatione vicelima in Hist. quinti sæculi, & *Antonius Pagius* in sua Critica ad annos cccxcv. & dxv. horumce duorum Episcoporum Orthodoxiam multis momentis asserunt, ac vindicant. Immo *Henschenius* ad diem xxv. mensis Aprilis pluribus contra *Baronium* evincit, factum cultum a Græcis exhiberi *Macedonio* Episcopo Constantinopolitano. Sed hæc de serie Episcoporum, qui in quinto Ecclesiæ sæculo præcipuas Sedes tenuerunt, juxta accuratorem Chronologiam, dixisse sufficiat.

#### COLLOQUIUM IV.

De Conciliis, que in quinto Ecclesiæ sæculo fuerunt celebrata, & de variis Factionibus, in quas distracti sunt Episcopi Catholici.

**C**UM ad profligandas Hæreses, & ad faciendam Ecclesiæ Disciplinam Concilia celebrari soleant, scire in primis vellem, in quibusnam Conciliis tam Generalibus, quam Nationalibus damnatæ fuerint Hæreses Pelagianorum, Semipelagianorum, Nestorianorum, & Eutychnianorum, quæ in quinto Ecclesiæ sæculo gratatæ sunt, & deinde, quænam sint illa Concilia, quæ ad Disciplinam Ecclesiæ factam tectam conservandam eodem sæculo fuerunt convocata, quorve Canones ediderint?

**M.** In Colloquio, quod jam institimus de Hæresibus, quæ in quinto Ecclesiæ sæculo emerferunt, multa memini, me laudasse Concilia, in quibus Hæreses id ætatis enatæ, proscriptæ sunt. Nihilò scilicet, ut plenioris assequaris notitiam Conciliorum, quæ in eo sæculo habitata sunt, quatuor hic breviter, quoad ejus fieri poterit, præstabo. Primo, recensero juxta seriem Chronologicam omnia Concilia, quæ contra Pelagianos celebrata sunt. Secundo, texam Historiam Concilii Œcumenici Ephesini, in quo damnatus est *Nestorius*. Tertio summam delibabo ea, quæ gesta sunt in Concilio Generali Chalcedonensi, in quo confixus est Eutychnianus error, & iniqua scelera a *Dioscuro* Alexandrino, & ab aliis Episcopis Eutychnianis in latrocínio Ephesino commissa. Quarto, referam Concilia, quæ Canones ediderunt, in quorum serie per plurimum sæculorum cursum ad nos usque deducta vivam veteris Disciplinæ Ecclesiasticæ imaginem possimus contemplari.

**D.** Recense primo Concilia, in quibus Pelagiani fuerunt damnati.

**M.** Primum Concilium, quod adversus Pelagianos convocatum est, fuit Concilium Carthaginense habitum anno ccccxii. in quo *Celestius* Pelagii discipulus, qui peccatum Originale, ejusque ad posteros propagationem inficiabatur, damnatus, & anathemate percussus est. Alterum Concilium, seu *Hierosolymitanum*, in causa Pelagii.

Joan-

#### ECCLESIASTICA.

**Joannes** Jerosolymorum Episcopus una cum suis Presbyteris celebravit anno ccccxv. eique interfuit *Orosius* acculator Pelagii. At *Joannes* hujus Concilii Præses damnare noluit Pelagium, cujus fraudibus fuerat deceptus, sed solum statuit, ut hac de re litteræ ad Innocentium I. Summum Pontificem mitterentur, ejusque super hac controversia decretorum expectaretur judicium. Eodem anno, seu ccccxv. apud Diospolim Palæstinæ Urbem, *Lyddam* olim dictam, a quatuordecim Episcopis in causa itidem Pelagii habita est Synodus Diospolitana, in qua *Orosius* libellum obtulit, qui nefaria Pelagii dogmata continebat. Verum vaserrimus Pelagius, qui præsens erat, errores sibi ab *Orosio* objectos perstricta fronte negando, vel Fidem Catholicam mentiendo, solum fecit Patribus, & damnationis sententiam declinavit. Anno tamen sequenti, seu ccccxvi. *Pelagius*, & *Celestius*, licet a Patribus Diospolitans, quibuscum fraudulenter egerant, fuissent absoluti, in altero Concilio Carthaginensi, & in Synodo Milevitana II. ob Hæresim damnati sunt. Circa hanc Synodum Milevitana secundam contra Pelagianos coactam obiter velim observare, in Collectione Conciliorum referri Acta Synodi Milevitanae secundæ cum præfatione, quæ incipit his verbis: *Gloriosissimis Imperatoribus Arcadio, & Honorio Augg. Viris clarissimis, Cos. VI. Kalend. Septembris &c.* Sed observant periti Critici, hanc præfationem non esse Synodi Milevitanae secundæ, sed primæ, quæ anno cccxi. sub illo Consulatu habita est. Sequuntur postea Canones xxvii. quorum plures adversus Pelagianos editi sunt, octo scilicet Priores. Sed Eminentissimus Cardinalis *Norifus* lib. i. Hist. Pelagianæ cap. 10. pluribus ostendit, octo illos Canones contra Pelagianos adscribi nequaquam posse Synodo Milevitanae secundæ. Quam *Norifus* sententiam omnes eruditores viri ultro amplectuntur. Observat etiam merito *Baronius*, farraginem illam xxvii. Canonum uni Synodo Milevitanae secundæ incriptorum, ad diversa Concilia Africana pertinere.

Sed ab hac brevi digressionem redeamus ad Concilia, in quibus confossus est Pelagianorum error. Putavit *Baronius*, *Aurelium* Carthaginensem Episcopum, & totius Africæ Primatem unam tantum Synodum ex omnibus Africæ Provinciis in causa Pelagianorum Carthagine anno ccccxviii. coegisse. At convenit modo inter omnes viros eruditos, duas Africanas Synodos anno ccccxviii. ab *Aurelio* Carthaginensi Episcopo fuisse convocatas, quarum prima, ut docet *Cl. Pagius*, inchoata est medio mense Januario anni ccccxviii. & finita circa medium Februarium, huicque interfuerunt ccxiv. Episcopi. Altera Synodus ab eodem *Aurelio* indicta est Kalendis Mensis Maji ejusdem anni, & continuavit usque ad primum circiter diem mensis Julii ejusdem anni, ad eamque convenere ccxvii. Episcopi Africani. In priori Synodo Africana, quæ medio mense Januario anni ccccxviii. sub *Aurelio* habita est, Episcopi matura deliberatione inquiserunt, quidnam factum opus esset, ut Pelagianorum artibus ob-

viam iretur. Quocirca, cum *Pelagius*, & *Celestius* ementita fidei professione *Zosimum* Papam decepissent, Patres illius Synodi per *Marcellinum* Subdiaconum transmiserunt ad *Zosimum* plurimas instructiones, gesta præcedentium Synodorum, & Decreta, seu octo, vel, ut alii volunt, novem Canones de Gratia, Scripturarum, & Sanctorum Patrum testimoniis probatos, quibus Pelagianam Hæresim plane jugulatum iri arbitrabantur. Dederunt etiam illius Synodi Africanæ Patres Epistolam Synodicam ad *Zosimum*, quæ temporum injuria periit, in qua graviter expostulabant, quod Romanus ille Pontifex, posthabito Africanæ Ecclesiæ, & Romanæ per *Innocentium* Summum Pontificem judicio, quo finita *Celestii* causa fuerat, ad novum examen eam revocasset, & obstinatorum libellum interposuerunt, quo suum sibi jus servari flagitabant, & ut nihil de sententia in *Pelagium*, & *Celestium* tam ab Africana Ecclesia, quam Romana per *Innocentium* Pontificem jam prolata, immutaretur, sed in eodem cuncta relinquerentur statu, saltem donec unum e suis Romanis mitterent cum idoneis causæ instrumentis, quibus Hæreticorum artes, & verutia aperirentur, palamque ostenderetur, quam legitime, & canonicè damnati essent. *Zosimus*, acceptis Patrum Africanorum litteris, & instructionibus, in *Celestium*, & *Pelagium*, quos antehac eorum fraudibus delusus innocentes crediderat, decretoriam tulit sententiam; Canonibus de gratia a Patribus Africanis contra Pelagianos constitutis, & in eorum relatione ad ipsum missa contentis Apostolicæ Sedis addidit auctoritatem, scripsitque universis Orbis Episcopis prolixam illam Epistolam, quam *Tractoriam* *Marius Mercator* appellat, & cujus aliqua tantum fragmenta nunc supersunt. Hæc Epistola *Tractoria* *Zosimi* Pape, qua Pelagianorum proscribebatur Hæresis, lecta fuit in secundo Concilio Africano, quod, ut mox dixi, ab *Aurelio* Carthaginensi Episcopo inductum ex Kalendis mensis Maji anni ccccxviii. & summa omnium gratulatione excepta. Unde Patres istius Concilii Africani Epistolam ad *Zosimum* scripserunt, qua ipsi de Pelagianorum Hæresis damnatione impense sunt gratulati. Sunt quidam Viri eruditi, qui censent, præter istud Concilium totius Africæ plenarium, Kalendis mensis Maji ccccxviii. habitum, aliud, seu tertium Concilium Africanum contra Pelagianos habitum fuisse mense Augusto ejusdem anni, in quo lecta, & recepta fuerit *Tractoria* Epistola *Zosimi*. Verum, in hoc hallucinari viros illos eruditos luculenter ostendit *Cl. Pagius* ad annum Christi ccccxviii. ubi solide probat in secundo Concilio Africano contra Pelagianos coacto Kalendis Maji anni ccccxviii. lectam, probatam, & publicatam fuisse Epistolam *Tractoriam* *Zosimi*, & post illud Concilium secundum Africanum, nullum aliud Concilium in causa Pelagii hoc anno ccccxviii. fuisse convocatum. His Conciliis Africanis, & a Summis Pontificibus *Innocentio* I., & *Zosimo* damnati Pelagiani, atque ad exiguum numerum redacti, ut suam prostratam Sectam utcumque erigere, ac fulcire possent, Societatem

inic-



inierunt cum Hæreticis Nestorianis, cum quibus tam in Synodo Romana sub Cœlestino Papa anno ccccxxx. celebrata, quam in Concilio Generali Ephesino anno sequenti habito fuerunt eadem sententia percussi. Hæc sunt Concilia, quæ Pelagianorum errores in quinto Ecclesiæ sæculo damnarunt.

D. Fueruntne in quinto Ecclesiæ sæculo aliqua convocata Concilia ad damnandam Hæresim Semipelagianorum, qui initium fidei, & bonorum operum ex solis arbitrii viribus proflire autmabant?

M. Semipelagiani toto quinto Ecclesiæ sæculo, immo usque ad Synodum Arausicanam secundam, quæ anno dxxxix. sub Felice IV. Papa indicta, & a Bonifacio II. confirmata est, habiti non sunt ut Hæretici, nec ullum in quinto sæculo coactum fuit Concilium, quod eorum sententiæ notam Hæreseos inuenerit. Quapropter, sicut Sanctus Cyprianus, & alii Africani Antistites a tempore Agrippini Carthaginensis Episcopi usque ad damnatum ab Ecclesia rebaptizantium errorem suam opinionem de rebaptizandis Hæreticis licite & inculpate tenuerunt, sic Semipelagianorum sententia per annos centum libere, & citra fidei crimen a Presbyteris Massiliensibus, immo, & a multis Galliarum Episcopis propugnata fuit, ut late probat Cardinalis Norisus in Dissert. 3. De Anonymi scrupulis circa veteres Semipelagianorum Sectatores evulsis, ac eradicatis. Unde licet Cassianus Semipelagianus fuerit, quia tamen hæc opinio necdum hoc tempore ab Ecclesia erat damnata, cum opinione sanctitatis Massiliæ obiit, ubi etiamnum colitur ad diem xxiiii. Julii, & ante ejus sepulchrum diu noctuque lucerna ardet. Similiter Ecclesia Rejenfis, seu Regiensis, de Fausto etsi Semipelagiano, qui illius Ecclesiæ Episcopus fuit, proprium de eo Officium celebrat, eumque ut Sanctum veneratur, quia e vivis excessit ante Concilium secundum Arausicanum, in quo ceu hæretica proscripita est Semipelagianorum sententia. In Synodo tamen a Gelasio Summo Pontifice anno ccccxiv. celebrata inter damnatos libros, Cassiani ac Fausti Rejenfis Episcopi numerata sunt Opera, quia ab eo tempore alterutrius opinionem tueri tutum non fuit. Cum igitur Semipelagianorum Doctrina in Concilio Arausicano secundo, & Valentino in sexto sæculo celebratis fuerit damnata, ideo de illis Conciliis differendi opportunior sese dabit occasio in Colloquiis nostris Ecclesiasticis, in Historiam sexti Ecclesiæ sæculi.

D. Veniamus nunc ad Historiam Concilii Ephesini, quod contra Nestorium convocatum est, cuius tempus, Patrum numerum, & Præsides, rogo te, ut mihi indicare non graveris.

M. Concilium Ephesinum quod ordine tertium Œcumenicum est, anno ccccxxxi. indictum est ad diem Pentecostes, seu ad diem vii. mensis Junii, in quam hoc anno Pentecostes incidit. Istud tamen Concilium non nisi die vicesima secunda ejusdem mensis in magna Ephesi Ecclesia, S. Mariæ Deiparæ nuncupata, inchoatum est. De numero Patrum, qui huic Concilio interfuerunt, veteres Scriptores non consentiunt, Eorum tamen

opinio, teste doctissimo Baluzio in notis ad Marium Mercatorem, videtur verior, quæ ducentos circiter Episcopos huic Synodo adfuisse docet. Hæresiarcha Nestorius ad Concilium veniens adduxit secum decem Episcopos defuis, & duos Comites, Candidianum scilicet ab Imperatore Theodosio missum, ut ordinem in Synodo servandum curaret, & Irenæum privatum amicum suum. Cyrillus vero Patriarcha Alexandrinus longe plures secum adduxit Episcopos, Ephesumque pervenit quatuor, aut quinque diebus ante Pentecosten, seu ante diem septimum Junii. Juvenalis Episcopus Hierosolymitanus Ephesum adventavit cum Episcopis Palæstinis. At Joannes Patriarcha Antiochenus, qui Nestorio impensius favebat, de industria per viam trahens moram cum Antistitibus Orientalibus, scripsit Cyrillo per Episcopos duos, cum abesset tantum itinere quinque aut sex dierum, cumque sic data opera adventum suum procrastinaret, apulerunt Ephesum decimo sexto post Pentecosten die Alexander Apameensis secundæ Syriæ, & Alexander Hieropolitanus Episcopus Provinciæ Euphratensis Metropolitæ, qui Synodo de nimia Joannis Antiocheni eorum Patriarchæ mora querenti, dixerunt: *mandavit nobis, Joannes Antiochenus, ut pietati vestre indicemus, ne Synodum pro-rogetis, si ipsum amplius tardare contigerit, sed potius, quod opus est factum, id fiat, sicut legitur in parte 2. Concilii Ephesini, Actione V. quibus auditis, abjecta omni cunctatione Patres Synodum inchoarunt, primamque Sessionem habuerunt die xxii. Mensis Junii. Cœlestinus Summus Pontifex ad Ephesinum Concilium Legatos misit Arcadium, & Projectum Episcopos, & Philippum Presbyterum, qui nomine suo ei præessent. Cyrillus etiam Patriarcha Alexandrinus, cui ante hæc Cœlestinus Papa auctoritatem Sedis Apostolicæ delegaverat ad executionem sententiæ contra Nestorium in Synodo Romana latæ anno ccccxxx. præfuit Concilio Ephesino tanquam Vicarius Cœlestini Papæ. Quo titulo in Actis illius Concilii ubique exornatur etiam post adventum Legatorum Sedis Romanæ, ut patet ex Actione IV. ubi Legati Arcadius, Projectus, & Philippus statim post Cyrillum ante reliquos Episcopos nominantur. Immo Cyrillum Concilio Ephesino ante trium Legatorum Sedis Apostolicæ adventum, non solum ex prerogativa Sedis suæ Alexandrinæ, sed etiam vice Cœlestini Papæ præfuisse, aperte colligitur ex Actione I. illius Concilii, ubi expresse legitur, Cyrillum Sanctissimi, Sacratissimique Romanæ Ecclesiæ Archiepiscopi locum obtinuisse. Procul igitur abludunt a vero, qui negant, Cyrillum tanquam Vicarium Cœlestini Papæ præfuisse Concilio Ephesino.*

D. Fuitne aliquid statutum in Concilio Ephesino ante adventum Joannis Antiocheni, & aliorum Episcoporum Orientalium?

M. Comes Candidianus, ac plures Episcopi rogarunt Cyrillum, aliosque Patres Ephesinos, ut expectarent Joannem Antiochenum, ipsosque contestati sunt, ne ante ejus adventum aliquid profusus agerent. At Cyrillus, aliique Episcopi, qui per quindecim dies ob absentiam Joannis Antiocheni

Con-

Concilium distulerant, diuturniorem moram in-tempestivam fore rati, Actionem, seu Sessionem primam die xxii. Junii actum celebrarunt, in qua lecta est Imperatoris Theodosii de congreganda Synodo Epistola, dein, Symbolum Nicænum, & Cyrilli ad Nestorium literæ, earumque cum fide Nicæna consensio ab omnibus Episcopis approbata. Recitata est etiam Nestorii ad Cyrillum Epistola, quæ unanimi Patrum calculo explosa est. Lectæ itidem Cœlestini Papæ, Synodique Alexandrinæ ad Nestorium literæ, & postremo examinata Nestorii Scripta, ex quibus omnibus compertum, atque exploratum fuit, Nestorium negasse, Beatam Virginem Mariam esse Deiparam, duasque in Christo admisisse Personas, divinam scilicet & humanam. Quapropter Nestorius ad causam in Synodo dicendam ter vocatus, sed sistere sese omnino recusans, omnium patrum sententia damnatus, ac depositus est. Hæc Concilii sententia postmodum significata est Nestorio, & missæ ad Cœlestinum Papam, ad Imperatorem, & ad Clerum Constantinopolitanum relationes, quibus denunciabatur Nestorii e Sede Constantinopolitana depositio (a).

„ (a) Non abs re adjectisse hic juvat in nova editione Conciliorum a me per hos annos curata exhiberi ex Codice Vaticano 1342. anathematismos S. Cyrilli cum subjectis ad singula blasphemias Nestorii sub hoc titulo: Incipiunt Nestorii blasphemiarum capitula, quibus Epistolæ ad se missis a SS. Cœlestino Romanæ Urbis, & Cyrillo Alexandrino contradixit & disputatione brevissima resolvendo duodecim capitula fidei, quæ ad se missa fuerant, refellit. Nunc Episcopi Cyrilli priora posuimus, quæ Romana Ecclesia approbavit, & posteriora Nestorii ex græco in latinum versa. Hæc quidem sunt in actis Concilii excusis, ac sejuncta ut uno in loco sint blasphemiarum Nestorii, in alio Cyrilli anathematismi. Forte tamen conjunctio ista lecta in Concilio non est, sed ab interprete, seu a Græco aliquo majoris perspicuitatis gratia confecta. Utinamque res sese habuerit, visum est eam dari, ut in Codice repræsentatur.

„ Insuper in eadem nova editione datur nova collatio celeberrimi Codicis Casinensis, ex quo unico petiuntur Synodicon adversus tragædianum Hirenæi, qui tamen titulus non est in Codice, sed a Baluzio de suo inditum. Demum ex simili Codice Vaticano quarundam Epistolarum ejus Synodici variantes adjectæ sunt, ac præsertim exhibitæ Epistola S. Isidori Pelusiotæ in eodem Casinensi Codice ex vetustissima nondum edita interpretatione, quas a P. Lupo ejusdem Synodici Editore omittas Baluzius vehementer conquestus est.

D. Hac igitur unica Actione, seu Sessione Concilii Ephesini res tota confecta fuit, & Nestorii penitus jugulata Hæresis?

M. Minime gentium. Candidianus quippe Comes retulit ad Theodosium Imperatorem ea, quæ gesta erant in Concilio Ephesino, retulit etiam & Nestorius, sed ambo ita subdole & mendaciter, ut animum Theodosii Imperatoris jam in Nesto-

rium nimis pronum, & Cyrillo aversum, in totam Synodum commoverint. Ad hæc, quinta die, a lata in Nestorium sententia, Ephesum venit Joannes Antiochenus, qui ægre ferens, quod ejus præsentiam Patres diutius non expectassent, Conciliabulum cum suis Orientalibus Episcopis egit, in quo in Cyrillum Patriarcham Alexandrinum, & in Memnonem Episcopum Ephesinum, tanquam omnium malorum architectos, damnationis & depositionis sententia lata est. Cæteri etiam Patres Ephesini, ni respicerent, & XII. Sancti Cyrilli contra Nestorium anathematismos quam primum rejicerent, anathemati subjecti fuerunt. Relationem gestorum in hoc Conciliabulo ad Imperatorem misit Joannes Antiochenus, eumque de omnibus certiores fecit.

D. Post acceptas illas relationes, quo pacto se gessit Theodosius Imperator?

M. Relatione Comitum Candidiani Constantinopoli lecta, Theodosius continuo rescripsit per Palladium Magistrum, iussitque omnia in Actione, seu Sessione prima Concilii Ephesini gesta, penitus rescindi, tanquam vitio facta, & communi sententia examinari Dogmata, ut curata conspirantibus omnium suffragiis definirentur. Ut autem Episcopi rei maturandæ necessitatem imponeret Imperator, districte vetuit, ne quis Episcopus exiret Epheso, sive in Patriam, sive in Comitatum, priusquam omnia rite absoluta essent. Interim, hinc, & inde tam a Concilio Ephesino, quam a Conciliabulo Joannis Antiocheni Epistolæ, & Legati ad Imperatoris Aulam mittebantur.

D. Necdum exposuisti, cum tua bona venia, quid his excitatis turbis consilii ceperint, quamve in partem inclinarint Legati missi a Cœlestino Summo Pontifice?

M. Arcadius, & Projectus Episcopi, & Philippus Presbyter Legati, a Cœlestino Summo Pontifice missi non interfuerunt Actioni, seu Sessioni primæ Concilii Ephesini, quia Ephesum dumtaxat advenerunt die decima mensis Julii, qua die habita est Actio, seu Sessio secunda, & postmodum Actio, seu Sessio tertia, in qua lecta sunt, quæ antea gesta fuerant in damnatione, & depositione Nestorii, & dicta singillatim a tribus Sedis Apostolicæ Legatis in Nestorium sententia, ac postea relatum a Synodo ad Imperatorem de Legatorum adventu, atque postulata discedendi facultas, cum omnia in negotio Nestorii jam essent omnino peracta. Finita itaque causa Nestorii, Cyrillus Alexandrinus, & Memnon Ephesinus Episcopi obtulerunt in actione, seu Sessione quarta, quæ habita est die xvi. mensis Julii, libellum, quo apud Sanctam Synodum exposularunt de injuria sibi ab Orientalibus Episcopis facta, petieruntque, ut citaretur Joannes Antiochenus, qui comparere cum nollet, pronunciarunt Patres, irrita esse omnia, quæ Joannis Antiocheni Pseudo-Synodus adversus Cyrillum, & Memnonem fecisset, simulque decreverunt, ut hac de re scriberetur Imperatori, ac tertio citaretur Joannes Antiochenus, antequam jure in ipsum ageretur. Die itaque xvii. mensis Julii peracta est actio, seu Sessio quinta, & Joan-



& Joannes Antiochenus tertio vocatus est, qui se sistere, cum renuisset, Sacra Synodus tulit in ipsum, & in alios Orientales Episcopos ei adherentes excommunicationis sententiam, & denuo statuit irrita plane esse, quæ adversus Cyrillum, Memnonem, aliosque Episcopos in suo Conciliabulo egerat Joannes Antiochenus. Celebrata est die xxii. Mensis Julii sexta Synodi Ephesinæ Actio, seu Sessio, in qua lecta & approbata est Nicænæ fidei Formula, editumque Synodale Decretum, quo cavebatur, ne quis alteram fidei Formulam, præter Nicænâ, conscriberet, vel conponeret. Demum, ultima die mensis Julii habita est septima Concilii Ephesini Actio, seu Sessio, in qua Patres sanxerunt, jus Ordinationum Episcoporum Insulæ Cypri non pertinere ad Episcopum Antiochenum, sed Cyprii Episcopis juxta Canones, & veterem consuetudinem servari debere. In eadem Sessione septima, & ultima fuit approbata Hæreticorum *Messalianorum* damnatio facta a *Sisinnio* Episcopo Constantinopolitano, compositæ quoque sunt quædam Episcoporum lites, & sex conditi Canones contra Pelagianos, necnon adversus Nestorium, illiusque factores.

D. Rata ne habuit Imperator Theodosius omnia, quæ gesta sunt in Concilio Ephesino?

M. Patres Concilii Ephesini selectos ad Imperatorem miserunt Episcopos, qui rerum gestarum ordinem, & rationem ei exponerent, sed *Ireneus* Comes, Nestorii amicus, quem Joannes Antiochenus ad Imperatorem miserat, Constantinopolim veniens, malis artibus effecit, ut Concilii Ephesini Legati nihil promovere potuerint. Cum igitur in Aula Imperatoris hæc causa fuisset agitata, nec una esset omnium sententia, placuit tandem Imperatori consilium a nonnullis ei suggestum de mittendo Ephesum *Joanne* sacrarum largitionum Comite, qui nomine Imperatoris tres esse depositos juberet, videlicet *Cyrillum*, *Memnonem*, & *Nestorium*, omnesque in unam Synodum egeret, & res pacifice agendas curaret. *Joannes* itaque sacrarum largitionum Comes Ephesum adveniens partium concordiam tentavit, sed frustra: unde in his rerum angustiis jussit Imperator, Nestorium recedere a Concilio, & ex utraque parte Legatos ad Urbem Regiam venire. Suos Legatos elegit Sacra Synodus, suos itidem Orientalis factio misit. Imperator Orientalium Legatos, qui a partibus Joannis Antiocheni stabant, in Villa *Rufiniana* quinquies audivit, eosque tam benevole in speciem excepit, ut certissimam sibi victoriam pollicerentur. At præter ipsorum expectationem, paucos post dies jussit Imperator Legatis Concilii Ephesini sese Constantinopolim comitari, ut Episcopum in locum depositi Nestorii ordinarent, Orientalibus Legatis interim Chalcedone relictis, quibus ad suas redeundi Ecclesiæ facultas concessa est. Episcoporum Orientalium fraudes cum perspectas habuisset Imperator ex litteris, quas ad ipsum scripserunt Patres Ephesini, & quæ, ne interciperentur, arundine inclusæ ad *Dalmatium* Sanctissimum Archimandritam a quodam mendico delatæ sunt, confestim Nestorium in Monasterium San-

cti Euprepii Antiochiæ in exilium misit, in cujus locum *Maximianus* consecratus est Episcopus Constantinopolitanus; Sanctum *Cyrillum* Alexandrinum, & *Memnonem* Ephesinum Episcopos, quos per *Joannem* sacrarum largitionum Comitem deponi jusserat, suis Sedibus restituit, & omnia, quæ Synodus Ephesina contra Nestorium, Joannem Antiochenum, & alios Episcopos Orientales sanxerat, rata haberi voluit. Quin, & soluto Concilio Ephesino, *Theodosius* junior paci Ecclesiæ totus intentus litteras scripsit ad Joannem Antiochenum, ut similitates cum *Cyrillo* deponeret, & Nestorium damnaret. Obtemperavit *Joannes*, & assensus est damnationi Nestorii, & Ordinationi *Maximiani*, utque cum *Cyrillo* pacem iniret, duos e suis Diaconis una cum *Aristolao* Tribuno, & *Paulo* Emiseno Episcopo ad ipsum misit, eique significavit, se Doctrinæ Nestorii Anathema dicere, illius depositionem ratam habere, & *Maximiani* in locum Nestorii Ordinationem approbare. Subscripsit etiam Joannes Antiochenus professioni fidei, in qua ultro agnovit unam in Christo Personam, & Beatam Virginem Mariam esse vere Deiparam, damnavitque prava Nestorii Dogmata, & peregrinas explosit voces, quas ille Hæresiarcha inveherat. Hanc Fidei professionem a Joanne Antiocheno, aliisque Episcopis Orientalibus subscriptam, Sanctus *Cyrillus* tanquam omnino Catholicam inseruit in suis litteris, quas dedit ad Joannem Antiochenum, quarum initium: *Letentur Cæli*, & *Terra*. Sic pax inter *Cyrillum* Alexandrinum, & Joannem Antiochenum, aliosque Orientales Antistites summo omnium Fidelium plausu, & gaudio composita est sub finem anni ccccxxxvii. Verum, vix pax nunciata fuerat, cum in variis Orientis partibus tumultuatum est. *Andreas* quippe Samosatensis Episcopus, *Meletius* Episcopus Mopsuestenus, *Alexander* Hieropolitanus, *Halladius* Tarsensis, *Euthemius* Thyansenis Metropolitanus, *Theodoretus* Cyrensis Episcopus, aliique non pauci Orientales Episcopi ab inita pace abhorruerunt, nolentes damnare Nestorium, nec communionem habere cum *Cyrillo* Alexandrino, & Joanne Antiocheno. Ad hanc Episcoporum discordiam sedandam, ex qua gravissima mala in Ecclesiam redundabant, Imperator omnem suam operam contulit, & ad Joannis Antiocheni postulationem Sacram dedit, qua jussit, ut omnes Orientales Episcopi cum Joanne Antiocheno communicarent, aut a suis Ecclesiis ejicerentur. Hac Sacra Imperatoris haud parum conturbati *Theodoretus* Cyrensis Episcopus, & alii Isauriæ & Ciliciæ Antistites, qui hætenus ad nullas pacis conditiones accedere voluerant, tandem aliquando inita paci consenserunt. Multi tamen Episcopi obstinati, & in suscepto proposito perseverantes Sedibus suis fuerunt pulsi, quos inter numerantur *Meletius* Episcopus Mopsuestenus, & *Alexander* Hieropolitanus. Complures etiam fuerunt Episcopi, quorum Catalogum texit *Ireneus* Tyrionum Episcopus capite exc. Synodici, qui aut fugere, & Ecclesiis suas deferere maluerunt, quam Nestorii depositioni consentire vel cum *Cyrillo* Alexandrino, & Joanne Antiocheno communicare. Denique, anno ccccxxxv. Nesto-

Nestorius funestæ illius tragediæ auctor e Monasterio Sancti Euprepii, in quo quadriennium jam exul permanerat, in Oasim Edicto Theodosii Imperatoris altero exilio amandatus est, & libri ab ipso conscripti ultricibus flammis fuerunt additi.

D. Hæc Imperialis Lex reddidit ne Ecclesiæ pacem?

M. Episcopi Ægypti cum Orientalibus perpetua aluerunt discordiæ semina. Alii siquidem Anathematismos XII. Sancti *Cyrilli* contra Nestorium tanquam Hæreseos Apollinarii labe infectos penitus repudiabant. Alii, versa vice, illos ut Orthodoxos propugnabant. Alii communicabant quidem cum Joanne Antiocheno, sed Nestorium anathematizare nolebant. Alii Nestorium Anathema dicebant, sed non ejus doctrinæ. Alii denique, Nestorii libris Lege Imperiali prohibitis, cœperunt *Diodori* Tarsensis, & *Theodori* Mopsuesteni circumferre volumina, dicentes, Nestorium nova non sapuisse, sed antiquorum Patrum protulisse doctrinam, eademque volumina in Syrorum Linguam, & Armenorum, atque Persarum transtulerunt. Quod statim ac agnoverunt *Acacius* Melitenensis, & *Rabulas* Edestenus Episcopi, scripserunt Armeniæ Episcopis, ne Theodori Mopsuesteni, utpote Hæretici, & Auctoris Nestoriani Dogmatis, libros suscipere. Contra vero Episcopi Ciliciæ accularunt *Rabulam*, & *Acacium*, quod hoc non ex charitate, sed ex æmulatione, atque contentione fecissent. Episcopi Armeni in unum congregati miserunt duos Presbyteros *Leontium*, & *Aberium* ad Proclum Constantinopolitanum Episcopum, ut scirent ab eo, cui doctrinæ standum esset. *Proclus* itaque annuens eorum vetis *comum* scripsit, in quo doctrinam Theodori Mopsuesteni Episcopi tanquam Hæreticam reprobavit, eumque misit ad Joannem Antiochenum; qui coacto Concilio subscripsit prædicto *Procli* tomo, una cum Episcopis cum ipso congregatis. Porro, quamvis Joannes Antiochenus subscripserit tomo *Procli*, de Theodoro tamen Mopsuesteno, cujus magnum erat per totum Orientem nomen, consulto tacuit, ut facilius excitari tumultus in optatum diu tranquillitatem verti possent, quam Joannis Antiocheni dispensationem, utpote ad revocandam, vel conservandam Ecclesiæ pacem prorsus necessariam probavit ipsomet *Cyrillus* in Epistola, quam scripsit ad *Proclum* his verbis: *Dispensatio vero in his est res optima ac sapiens. Si enim adhuc in vivis esset* (Theodorus Mopsuestenus) *& Nestorii blasphemiarum fautor esse, aut suffragari vellet iis, que scripsit ipse, Anathema etiam propria persona subiisset; quoniam vero ad Deum abiit, sufficit, ut ego puto, ea que absurde ab eo scripta sunt, rejici ab iis, qui recte sentiunt &c.*

D. Fuerunt tandem per hanc Economiam compressi omnes tumultus?

M. Nequaquam. Quidam enim Episcopi Orientales Nestorianæ Hæreseos factores, hanc Economiam suscipere renuerunt, & Theodori Mopsuesteni blasphemias tanquam consonas doctrinæ SS. Patrum præfaste defendere ausi sunt. Quamobrem *Cyrillus* Alexandrinus coactus est libros conscribere adversus Theodorum Mopsuestenum, eumque etiam post mortem tanquam Hæreticum, & im-

Graveison Hist. Tom. II.

pium anathematizare. Inde tamen finita non est Theodori Mopsuesteni causa, ex qua originem postea duxerunt gravissimi tumultus, qui usque ad Synodum Chalcedonensem, immo usque ad quintam Synodum Generalem sub Vigilio Papa, & Justiniano Imperatore in sexto Ecclesiæ Sæculo celebratam perdurarunt, ut expendemus in nostris Colloquiis in sextum Ecclesiæ sæculum.

Dum sic in Oriente occulte adhuc serperet Nestoriana lues, contigit ut *Eutyches* Presbyter, & Archimandrita cujusdam Monasterii Constantinopolitani, qui in Concilio Ephesino contra Nestorium strenue decertaverat, in contrarium plane errorem delapsus fuerit, asserens duas in Christo naturas ante unionem fuisse, sed post unionem, sive post Incarnationem, unicam tantummodo naturam, seu divinam, permanisse, ac subinde Carnem Christi nobis non esse consubstantialem. Hæc male sana Eutychetis dogmata, quæ, ut jam diximus in Colloquio de Hæresibus, quinto Ecclesiæ sæculo emerferunt, a *Flaviano* Constantinopolitano Episcopo in Concilio, quod Constantinopoli celebravit, fuerunt proscripita, nihilofaciens in Conciliabulo Ephesino, vulgo *latrociniali* dicto, a Theodosio juniore Imperatore anno cccclxix. indicto approbata sunt, Eutyches absolutus, Legati Sancti Leonis Summi Pontificis injuriis affecti, *Flavianus* Episcopus Constantinopolitanus, qui Eutychem damnaverat, & *Eusebius* Dorileus Antistes damnati, ac depositi sunt, atque *Anatolius* in locum *Flaviani*, Episcopus Constantinopolitanus consecratus est, omnia denique a *Dioscuro* Episcopo Alexandrino hujus Conciliabuli Præside, militari Satellitio stipato, per vim & fraudem ad stabiliendam Eutychianam Hæresim peracta sunt. Vivente Theodosio juniore Imperatore, nullum remedium tot gliscibus malis adhibere potuit S. Leo Papa, nec ab ipso impetrare unquam potuit, ut Generale convocaretur Concilium, in quo latrocinii Ephesini Acta rescinderentur. At mortuo Theodosio in parte Eutychetis inclinato, Summus Pontifex facile a *Marciano* Theodosii successore, cui *Pulcheria* Augusta suum conjugium una cum Sceptro detulerat, obtinuit convocationem Concilii Chalcedonensis, in quo omnia latrocinii Ephesini Acta fuerunt rescissa, & Eutychiana Hæresis, quæ jam multorum pervaserat animos, fuit omnino profligata.

D. Quando nam celebratum est Concilium Chalcedonense, & quid in eo gestum est?

M. Concilium Generale Chalcedonense inchoatum est in Ecclesia Sanctæ Euphemie Martyris VIII. Idus Octobris anni ccccli. & Kalendis mensis Novembris ejusdem anni absolutum est. Huic Concilio interfuerunt sexcenti, & triginta Episcopi, quamvis minori numero subscripti reperiantur. Præfuerunt Legati Summi Pontificis Leonis, *Paschasius* Lilibæi in Sicilia Episcopus, *Lucensius* Asculanus Episcopus, *Bonifacius*, & *Basilus* Presbyteri, quibus *Julianus* Coensis Episcopus adjunctus est. Aderant etiam amplissimus Senatus, & Palatii Proceres, Judices, & Moderatores ab Imperatore *Marciano* constituti Septemdecim Actiones, seu Sessiones in hoc Concilio habi-